

## IN CANTICUM MOYSIS

---

### PROOEMIUM

Expositionis hujus tria supersunt MSS. nobis nota exemplaria: primum autographum, aliud transcriptum a quodam ipsius Luysii alumno, aliud denique initio hujus saeculi elaboratum eura PP. Augustinianorum Matritensium, qui Luysii scripta colligere intendebant. Autographum expositionem continet imperfectam, quippe quae ad versum 8, ipso verso 8 inclusio, tantum pertingit: consuli poterit in codice *D* supra descripto. Aliud, vero, exemplar, quod asservatur in tomo Ms. superius littera *A* notato, eamdem expositionem eamque integrum complectitur sub titulo: «Canticum Mosis, Deuteronomii caput 32, expositum per doctissimum Magistrum ludovicum leonem, 1582.» Videlicet exemplar istud cuidam Luysii alumno adscribendum, quod in ipso titulo et quadam nota circa finem ita lecturea tempus praefiniatur, ut nisi ab auditore fieri vix poterat.

Si inter se conferantur, exemplar scilicet cum autographo, omnino quoad doctrinae substantiam convenienter; minime, vero, in accidentibus, praesertim quoad verba. Attamen, de exemplaris authenticitate ambigendum non esse judicamus, tum propter ejus doctrinac convenientiam

cum autographo, tum quod Luysio adscribatur, tum etiam quia exemplar videtur transcriptio post lecturae auditio-  
nem statim facta. Discrepantia, autem, verborum et sen-  
tentiarum explicari forsan poterit ex ratione scribendi  
Luysio in more habita, qui lecturas prius alumnis quadam  
simplicitate traditas, postea corrigebat, ut ita immutatas  
et castigatas publicae luci traderet. Id ipsum nobis probant  
emendationes autographi ab ipso auctore factae, quae qui-  
dem et nimiae et frequentes sunt.

De transcriptione PP. Augustinianorum Matritensium  
studio facta nihil dicere oportet, cum recentior sit caeteris  
codicibus atque ex illis desumpta. Sufficiat animadvertere  
nos eam aliquando consuluisse, ut loca dubia ex nostrorum  
doctissimorum PP. auctoritate securius quam proprio ju-  
dicio interpretaremur. Quando, vero, ea usi sumus, ex  
notis patebit, ubi aperte praefatorum PP. auctoritatem  
adducere curabimus.

Animadvertere tandem juvat textum hujus editionis  
partim ex autographo, partim ab exemplari esse desump-  
tum. Ex autographo, enim, mutuavimus quidquid ipsum  
Ms. continet, id est, usque ad versum 8; caetera, vero,  
ad finem usque expositionis, deficiente autographo, ab  
exemplari transcribere debuimus.

## IN CANTICUM MOYSIS

(Deuteronomii cap. XXXII) <sup>(1)</sup>

Moyses, morti proximus, jussu Dei hoc carmen con-  
scripsit, illudque in publica totius populi concione Iudeis  
discendum et decantandum tradidit. Idque fecit, non ut ad  
Legis Dei observantium isto carmine Israelitas adhorta-  
retur, quod nonnulli opinati sunt, sed ut promissa Dei  
erga illum populum, cui Deus tam saepe obstrinxerat fidem  
suam, ab omni suspicione falsitatis liberaret. Nam polli-  
citus fuerat Deus Iudeis, fore ut Moyses ipsos, Josue duce,  
in terra Chanaeae possessionem induceret; et deletis aut  
pacatis circumaque vicinis gentibus, paceque consti-  
tuta, in felicissimo statu bonisque omnibus affluente vita  
eosdem collocaret. Quae, quoniam Moyses, divinitus edoc-  
tus, videbat non esse ad exitum perducenda propter eorum  
dem in Deum peccata futura (cognoscebat enim quanta  
illius populi erga Deum futura esset impietas); id, ergo,  
quoniam sciebat eventurum, et ob eam causam casum et  
inane maxima ex parte futurum quod illi populo Deus  
promiserat (nam promiserat ea lege, pie modo ipsum ac

(1) In autographo: «Canticum Moysis. Deut. 32.» Codex A: «Can-  
ticum Mosis, Deuteronomii cap. xxxii, expositum per doctissimum  
Magistrum ludovicum leonem. 1582.»